



Ac Divum in medio, heroumque æterna pacisci
 Fœdera, mansuramque fidem, dulcesque hymenæos.
 Illuc Heroes, illuc longo ordine densa
 Turba Ducum celeri fertur per inane volatu,
 Figat ubi aurata Paphius duo corda sagitta
 Aliger, Idæusque comes florentia ferta
 Frontibus imponat meritis, crinesque coronet.
 Quum primo (15) tenebris albore Aurora fugatis
 Memnonio emergens roseum caput efferet orbe,
 Ipse etiam tibi conspicuum conscendet olympum,
 Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
 Lucifer. Eoo nunc is latet æquore mergus,
 Atque oculis nova pompa tuis spectanda patebit.
 Non hac nocte tamen Veneris super orbe licebit,
 Præsentis nexu pactos celebrare hymenæos.
 Id vetuit nuper Divum pater, atque hominum rex,
 Et differre jubet, donec sat densa nepotum
 Formetur series avulsis æthere flammis,
 Totaque materies, per quam post tempore longo
 Vitalem excipient felicia corpora motum,
 Et lecta, & certa sit cœli in parte locata.
 Accelerant Genii, Nymphæque, at longa viarum
 Intervalla nimis fixos hinc ætheris ignes
 Immensum adtollunt cœlo: petit ipsa legendi
 Cura dies, aliosque dies, miscendaque in unum
 Semina flammaram pariter sua tempora poscunt.
 Interea donec primo consurgat Eoo
 Lux nova, flecte agilem tubulum, & cœlestia vitra.
 Illa, vides? procul Herculeum (16) lectissima sidus
 Turma petit, rabidi sidus petit illa Leonis.
 Inde duces robur, viresque ad fortia bella
 Accipient: namque hac exsurget stirpe creatus,
 Qui patriæ Cyprum, qui Creten reddat ademptam,
 Atque erit Odrysiæ frangat qui cornua Lunæ,